AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis agitanda diſputationibus in ſcholis Medicorum Pariſ. die Iouis [illegible] Decembris D. Claudio Charles Doctore Medico moderatore.

An ſolus ſanguis fœtum alat?

VT morbi quatuor tempora conſtituunt medici, principium, incrementum, vigorem & declinationem: ſic mixtorum phyſici ortum, acretionem, ſtatum, & interitum pari numero aſſignant. Vt hæc qu[a]tuor præclarè ſe habeant animata cibis ſemper egent, alioqui corpus abſumitur. Alimenta aſſumuntur ἔξωθεν, quibus cum corpore alendo diſſimilis ſimilitudo intercedat, neceſſe eſt. Vt autem anima ſuis [fa]cultatibus inſtructa, in omnibus corporis partibus ineſt, ſic alimentum per omnes & ſingulas illius partes diſpergitur, eas vt alat, iacturámque deperditæ materiæ reſarciat, cuius quantitatem, ſed imprim[is] qualitatem ſi obſerues, quod ortum habet feliciùs nutries, augebis, conſeruabis, immo vitam illius propagabis.

HOMO animatorum perfectiſſimum etiam cibis eget, aliter maximè læditur propter mutuum quatuor elementotum virtute in illo conſiſtentium certamen, quorum clades aſsidua niſi alimento pro[mptè] aſſiduè reparetur, illico calidum innatum extinguitur. Calidum autem innatum tribus conſtare certum, humido, ſpiritu & calore ab elementari non diſtincto, totidem eget aſcititijs humore, ſpiritu [&] calore, quibus foueatur & conſeruetur in integro. Fit hoc proculdubio ſi alimentum præparetur, præparatum coquatur & aſſimiletur. Id vt commodè fiat actiones quædam neceſſariæ, attractio & alterat[io,] quæ ſi ab officio deſciſcant, aut remiſsè peragant, toti vel parti præſens impendet periculum, quod impediatur diſtributio ſanguinis, qui ſolus & purus in partium cedit alimentum.

ALIMENTVM omne debet eſſe dulce & amicum naturæ, non oppoſitum, coctum non crudum. Tale autem redditur cum dentibus in ore conſtructis manditur, attenuatur, molitur, rectis fibris attrahitur & in ventri[cu]lum illabitur ad χύλωσιν edendam. Chyli portionem per venas mezaraicas trahit ad ſe iecur, à quo & in quo αἱμάτωσις perficitur, non ui venarum ſed περισχύματος. Sanguis ab alijs humoribus ſecretus, ſurſum deorſum f[er]tur ad nutritionis munus obeundum, quo reliqui humores in hepate ſimul & ſemel geniti deſtituuntur, ſed per loca conferentia excernuntur.

HOMO cæterorum animantium temperamenti (licet non exacti, tale enim nullum reperitur) præſtantia temperatiſſimus, calidi innati beneficio vitam fouet & ſuſtentat. Partes habet proportione quad[rantes] elementis, & anni temporibus reſpondentes, bilem igni & æſtati, ſanguinem aëri & veri, pituitam aquæ & hyemi, melancholiam terræ & autumno: bilis amara, melancholicus ſuccus acerbus, pituita in[si]pida, ſolus ſanguis, vt primus naturæ filius dulcedinis particeps, quo elaborato nutritionem, auctionem & procreationem homo perbellè aggreditur: procreationem quidem ſi præſertim teſtes habet, licet [ta]men & vim agendi ab omnibus partibus mutuentur.

QVI procreatione fit fœtus vno & eodem tempore vitam viuit hominis, non priùs plantæ, non priùs bruti, conſtat anima & corpore, anima ſuis facultatibus, corpus ſuis partibus forma non diſtinctis. Diuinam e[a]rum partium ſtructuram ſimul & ſemel non molitur virtus formatrix: ſpermaticis enim (quę calidæ omnes) ſuam priùs dicant operam, deinde carnoſis: fœtus per venam vmbilicalem, maternum ſanguinem trahit in hepatis corpus refundit vt elaboretur, mox per cauæ ramos à ſingulis partibus attrahitur, attractus in rorem, inde in gluten mutatus ſolus tandem cambit in partis ſubſtantiam. Alij enim humores aliò ſecedu[nt,] bilis ad veſiculam, ſuccus melancholicus ad lienem, ſerum ad renes, à renibus ad veſicam, à veſica ad membranam amnion dictam, quæ ſudori excipiendo, vrinæq; continendæ à natura deſtinatur.

Ergo ſolus ſanguis fœtum alit.

Defendebat LVDOVICVS DEMONCEAVX Bellouacenſis. Anno ſalutis 1606.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Collier.	*M. Simon le Tellier Med. Reg.*	*M. Nicolaus Elain.*
M. Franciſcus Elain.	*M. Richardus Marcetz.*	*M. Guillelmus de Bailou.*
M. Robertus le Secq.	*M. Simon Bazin.*	*M. Henricus Blacuod.*